

h. 32, 2

F

I

B



K. 32, 24.



EPOS
SOLSEQVIANUM,
Decem Felicissimis Ominibus,
velut tot radiis,

SERENISSIMUM ATQVE CELSISSIMUM
PRINCIPEM AC DOMINUM,
DOMINUM

FRIDERICUM
GVILIELMUM,
DUCEM SAXONIAE, JULIACI,

Cliviæ, & Montaniæ, Comitem Provincialem Thuringiæ, Comitem
Limitaneum Misniæ, Principali Dignitate Comitem
Hennebergiæ, Comitem Marcæ & Ravensburgi,
Ravensteinii Dynastam,


tanquam

ORIENTEM ex alto SOLEM,
Floridâ ætate decennem,

Per lemmata aliaque parergica metra & vota gratâ metaphorâ
orbi exhibens:

Quod annô Christiano

Pos Vêre PIMpLeIDes CœnobII BanthensIs
obserVantIæ & honorIs ergò.



EPOS
SOESGAIANUM

Dicitur Elegia in Olympis





PROLOQVIVM

AD

SERENISSIMUM AC CELSISSIMUM
PRINCIPEM AC DOMINUM,
DOMINUM

FRIDERICUM GVILIELMUM,
DUCEM SAXONIAE, ETC.

Elorens illa & in columis fert opinio, quam suō hactenus
vigore constantem suspeximus, & indies suspicimus: Deum, à quo
movemur & sumus, duo quædam pulcherrima sui decoris simu-
lachra condidisse: SOLEꝝ in cælis, in terris PRINCIPEꝝ
sapientem. Enimvero Solem principem esse stellam, cæterosq; pla-
netas inter primas obtainere, est in propatulo; sed enim lumen ipse
cæli, à quo cætera lucem astra mutuantur: ipse est, qui cuncta fo-
veat, ipse qui nutriat, ipse qui radiorum virtute omnia sustentet,
ut jure Planetarum Rubinus, Smaragdus Stellarum, Sphærarum
Adamas, oculus cælorum, splendorum parens, victor tenebrarum,
creaturarum Rex, fons formæ, mundi lampas, lucis scaturigo & pa-
rens, vel quicquid ipsi encomiorum imponitur, meritò nuncupetur.
Sic PRINCEPS, Regalis quasi stella emicat inter omnes: Sol
velut inter Planetas, Aquila inter aves, Leo inter quadrupedes,
Adamas inter gemmas, Aurum inter metalla, Cedrus inter arbores,
Rosa inter flores; ut nequaquam inconcinnè in SOLE PRIN-
CIPEꝝ, aut in PRINCIPE SOLEꝝ demiremur universi ac
veneremur! cùm sol anima est mundi, anima populi Princeps,

A 2

quo

quo fatiscente, hic nequeat consistere; iste respirare nequeat hoc intermoriente: ad huius igitur illiusq; vultum spirant ac sperant omnia. Eapropter, SERENISSIME ac CELSISSIME PRINCEPS, SOLEM TE optimè compellamus, cuius ortus ex alto summoq; Saxonorum Principum stemmate deducitur, ex quo, sicut Phœbus, verùm longè elegantior, tanquam ex terrestri quodam cælo tot astris radiante, quot Principibus claro exoreris & sic procedis, ac si sapientissimus Davidides illud TIBI UNI vaticinatus fuisse videatur: Proverb. cap. 23. Gaudeat Pater tuus & Mater tua, & exultet quæ genuit te. Ecquid enim amabò ad veritatem accommodatius, quid ad serenæ mentis letitiam jucundius poterat pronunciare? cum ex saniori Philosophia: Derivata seqvuntur naturam eorum, à quibus derivantur. TU SERENISSIME PRINCEPS tanquam derivatus SOLES, ergo & certè quidem SERENISSIMI ac CELSISSIMI TUI PARENTES, à quibus derivaris, SOLES esse seu astra clarissima, est necesse: ut bene Poëta:

Scilicet in natos abeunt generosa Parentum

Semina: non Aquilam parva columba parit.

Unde: quot modo PRINCIPES cernimus ALTENBURGENSES, tot quasi conspicimus in cælo quodam terrestri SOLES, quos Sophi nominant Parelia. Et rectè SOLEM TE efferimus, cuius auricoma semper facies calamistratâ concinnè per humeros desflente Cæsarie Patriam, uti ingenti dignitatis claritate, sic per vigili quoq; gubernatione, irradiare incipis, & aliquando utiq; irradiabis. SOLEM TE dicimus tām venustum quām illimē: tām necessarium quām salutarem, quem, dum Banho cum incredibili latitiæ plausu illuxit, quā possumus de prædicatione & extollimus & demissâ dexterâ veneramur, summisq; votis CELSITVDINIS TVÆ pedibus ad geniculantes aliud nihil hâc sciographiâ contendimus, nisi ut ORIENS TVVS nesciat OCCASVM: id quod jam pluribus (TVO tamen NVMINE entheati) placet omnibus augurari; placeat similiter eā, quā soles, per humanā suscipere manu, oculisq; gratiosis perlustrare.



OMEN I.

*Sol montibus primū affulget maximis,
Quo moti Gentiles assuevēre montes olim descendere,
Orientemq; Solem musicā excipere:
Sic PRINCEPS magnis primū affulget mentibus,
hoc tantū discrimine,
Quòd huic prō radiis sit gratia,
Pro luce DECVS,
ut in eo verificetur sequens*

LEMMA:

Hic clariūs emicat.

Phoebus ut Eois celeres radiosus habenis
Partibus urget equos, sublimis vertice terras
Inspicit, & medio cœli suspensus in axe,
Omnia lustrat, agitq; priùs spiramine montes
Lux prior in vastos, ubi primū fervidus altō
Culmine despiciens, primas altissimus umbras
Projicit. Huc properat gens barbara corpore flores
Aut mollem tentare chelyn, seu pectine dulcem
Threicio torquere lyram, seu carmine docta,
Plectra movere novō, & vocis modulamine cantat
Exortum Solem. Sint vanis vana relicta.

TE laudesq; Tuas, PRINCEPS, resonare juvabit,
Quem pridem celebris vasti per climata cœli
Fama tulit ! Veluti sublimis in æthere PHOEBUS
Surgis & affulges, radios TUA GRATIA præstat,
Et quæ fusa polis illustrat gratia vulgus,
Hæc prior in vastis splendescit mentibus orta.
Nam quæ summa tenet virtus, illustrior ardet.
PRINCEPS, summa tenes, soboles quia Semideorum,
Gloria Majorum, populi Spes, culmen, Asylum.
Suspicit hinc quivis TE, DLX ! sublimius astrum.

EPI-

EPIGRAMMA
De Sole, & Principe Altenburgensi,
Soli comparato.

En novus attonito consurgit Phœbus in orbe
Saxoniæ, cuius lumine terra nitet:
Est mirum, nova quod videat miracula mundus!
Est mirum, duplici Sole micare diem!

OMEN II.

*Sol, quamvis sublimis, non aversatur humiles,
Puros cum radios terram dimittat in imam:
Sic PRINCEPS excelsus imos non despicit,
cum
Summis exemplo, auctoritate imis præluceat.
Hinc probè*

LEMMA:

Titan, micanti clarus in æthere,
Sereniorem per juga montium
Fundens capillum, haud temnit imas
Luce suâ decorare valles:
Est una semper Gratia vallium,
Est una semper Gloria montium,
Et lucet usque æqualis idem,
Et procul & prope Sol refulgens.
O! inclytorum Gloria Principum,
TUI, SOL coruscans, Gratia Saxonum,
Sic æqua semper perge celsis
Atq; humili dare jura plebi:
Indemnitatem querere supplicum,
Felicitatem condere civium,
Orbis saluti, publicisq;
Sollicitum vigilare curis:

153

Et

Et velle justum, justaque subditis
Dictare, pacem reddere patriæ,
Fulcire labentum ruinas,
Consiliō reparare lapsos.

WILHELME, SOLIS sic eris æmulus,
Quærens Tuorum commoda civium,
Numen secundum, perditarum
Perfugium columenque rerum.

Sic æviternō gens TIBI subdita
TUAM sonabit carmine gloriam,
Et sera gratō TE Nepotum,
Posterioritas celebrabit ore.

CUBUS VOTIVUS.

sonnasirotsensoreserosnestorisannos
onnasirotsensoresLserosnestorisanne
nnasirotsensoresLOLserosnestorisann
nasirotsensoresLOSOLserosnestorisann
asirotsensoresLOSSSOLSirosnestoris
sirotsensoresLOSSsisSOLserosnestoris
irotsensoresLOSSsibisSOLserosnestoris
rotsensoresLOSSsibobisSOLserosnestoris
otsensoresLOSSsibonobisSOLserosnestoris
tsensoresLOSSsiboncnobisSOLserosnestoris
sensoresLOSSsiboncicnobiisSOLserosnestoris
ensoresLOSSsiboncihThicnobisSOLserosnestoris
soresLOSSsiboncihTATHicnobisSOLserosnestoris
oresLOSSsiboncihTAEATHicnobisSOLserosnestoris
resLOSSsiboncihTAECEATHicnobisSOLserosnestoris
esLOSSsiboncihTAECVCEATHicnobisSOLserosnestoris
sLOSSsiboncihTAECVLVCEATHicnobisSOLserosnestoris
esLOSSsiboncihTAECVCEATHicnobisSOLserosnestoris
gesLOSSsiboncihTAECEATHicnobisSOLserosnestoris
oresLOSSsiboncihTAEATHicnobisSOLserosnestoris
soresLOSSsiboncihTAEATHicnobisSOLserosnestoris
nsoresLOSSsiboncihThicnobisSOLserosnestoris
ensoresLOSSsiboncicnobiisSOLserosnestoris
sensoresLOSSsiboncnobiisSOLserosnestoris
tensoresLOSSsiboncnobiisSOLserosnestoris
otsensoresLOSSsibonobisSOLserosnestoris
rotsensoresLOSSsibobisSOLserosnestoris
irotsensoresLOSSsibisSOLserosnestoris
sirotsensoresLOSSsisSOLserosnestoris
asirotsensoresLOSSSOLSirosnestorisann
nasirotsensoresLOSOLserosnestorisann
nnasirotsensoresLOLserosnestorisann
onnasirotsensoresLserosnestorisann
sonnasirotsensoreserosnestorisannos

CANON.

Hoc genus ab aliis vocatur Silonianum, quod legitur in omnem dimensionem,
incipiendo à litterâ mediâ.



Et

OMEN III.

Oriente Sole jucundantur omnia:
Sic oriente PRINCIPE jucundantur subditi;
Præsertim, si ab ejus ortu regni fatum totiusq; reipublicæ
salus dependet & incolumentas.
Hinc idem de PRINCIPE, quod de Sole, profertur

LEMMA:

Cuncta sereno.



Um nova jucundis Tithonia surgit ab undis,
Et remeat lotis conspicienda rotis,

Ut servet morem, vultus ostentat honorem,
Collaque formosis cæsariata rosis.

Aureus à bellis promanat splendor ocellis,
Et quocunque loco purpurat arva crocō.

Luce fluunt illi per lutea terga capilli,
Luce fluunt plenæ versicolore genæ.

Quaque venit, crebras pulchrō fugat ore tenebras,
Undique per totas sardonichata comas.

Unde micant montes, rapidusq; nitescit Orontes,
Et cantant suaves nobile carmen aves.

Hinc mulcent aures, hinc complent cantibus auras:
Voces suavisonas gutture promit Anas.

Hic tremulō laudes cantu modulantur Alaudæ:
Hic Cassita, Merops, hic quoque Sturnus, Epopis.

Sic TUA sic ridet virtus, GVLIELME, renidet
Talis in ore lepor, talis in ore decor.

Par rubet Auroræ: (quem non inflammet amore?)
Jactitat illa decus, nec facit ille secūs.

Cæsariem laurō, purō circundat & aurō:
Spargunt audaces lumina bina faces.

Pur-

Purpurat exultum Lux formosissima vultum,
Quodq; magis miror, fit merus ille viror.
Et veluti flumen TUA fundit GRATIA lumen
Per mare, perq; solum, stelliferumq; polum.

VOTUM CHRONOGRAPHICUM.

Is nos & nostros PhœbVs DeLeCtet In æVVM!



OMEN IV.

Quod campus est absq; Sole, hoc plebs sine Principe.
Absentē Sole campus languescit & sterilescit;
Hoc præsente flores & messes copiosè protrudit & expandit:
Certè imago PRINCIPIS,
sine quo respublicæ
Neq; florere cum vere,
Neq; fervore cum aestate,
Neq; frigere cum hyeme
diu poterunt.
De utroq; bene dicitur, quòd omnia, ut notat

LEMMA:

Sunt sine Sole nihil.
Burva si pennis tegit umbra Solem,
Mox solum fructu sterilescit omni,
Splendor hortorum jacet, atq; languent
Frugibus agri.
Ast ubi currūs Phaëton refumit,
Surgit Eoō pelagō, tumentem
Nercum ridet, rapidosq; fluctus
Luce retundit:

ME

B

Læta

Pur-

Læta fit tellus, nova prata florent
Arte, pinguntur variō colore,
Liliis, calthis, violisq; campus
Stellat amoēnis.

Certa spes crescit dubiis colonis,
Cùm Ceres spicis onerat refertis
Arva, nec dulcis leviora spondet

Munera Bacchus.

Sic &, ô Princeps, supereminenti
Igne fulgebis quasi PHOEBUS almus,
Ut TULLUM nomen stupeat per orbem
Postera fama !

Totus in causâ miserûm levandâ
Stabis, & duris agitata corda
Pauperum fatis revocabis usque

Lumine amoris.

Prodigus dandi, bonitate major
Indigis promptam, nec adhuc rogatus
Te decet donis bene liberalem

Tendere dextram.

Læta gaudebit radiis amicis
Luminis tanti radiata tellus,
Atq; candorem PHAETONTIS hujus
Sentiet omnis.

Hinc TUIS cœptis Superi favebunt
Semper, & magnum TIBI comparabis
Inter Heroas decus, ac perennis
Nomina famæ.

EN-

ENCOMIASTICON ANGVI- NEUM.

→ O : felicia : quo : Ederet : Thuringia : antiquum :
Surgeret : tales : ô : DUCE : regna : felix : →
→ Populo : Imperium : sospes : utinam : Rursus : illa :
Decus : in : multos : erit : semper : PRINCEPS. →

CANON.

In his angvineis qui cum sensu versūs legere velit , vocabulum primi versūs connectet cum ultimo secundi, hoc cum primo nomine tertii versūs, posteā cum ultimo quarti , & sic deinceps ita à primo legere pergit , & versūs cum sensu leget.

OMEN V.

*Sol noxios consumit humores , affundit utiles ,
Fugat tenebras , afferit lucem :*

Sic PRINCIPIS est,

Vitiorum tollere materiam , & virtutum subjecere ,

Fugare malos , & servare bonos ,

*Ut , quod de Sole dicitur , de PRINCIPE
verificetur*

LEMMA:

Nubila pellit.



*Urbe soporatō cùm prodit filia Lethi
Anfractibus nigerrimis ,
Terribili facie ,*

*Umbrososq; agitans loris hinc inde caballos
Per obvia & per invia ,
Inferaq; & supera :*

Triste chaos tenebris etiamnum involveret orbem,
Ni Solis aureum jubar
Subsidium tulerit.

Sic ubi nox scelerum nigris invecta quadrigis
Invadit animos subdolè,
Blanditiisq; fovet,

TE decet hanc, PRINCEPS, noctem dispellere luce,
Tristiq; lethō solvere
Implicitas animas.

Ergo cūm mundi PHOE BUS sis, spargito vivas
Ubique virrtutum faces,
Justitiæq; jubar.

Præmia conjungas poenis : sis justus in omnes :
Clemens bonorum præmifer,
Terribilisq; malis.

PROGNOSTICON CHRONO- DISTICHUM.

DVX, soL LVCI f LVVs, q VIVICtor
n VbILa VInCIt,
In terrIs nobIs IVbILa Læta DabIt.

OMEN VI.

Sol nunquam quiescens omnibus inservit :
Sic PRINCEPS sine intermissione suis invigilabit,
Cūm hic & ille ad laborem oriatur,
SOL & PRINCEPS.

Hinc de utroq; aptè

LEM-

LEMMA :

Omnibus ad nutum.



um Sol exoriens equos reducit,
Et cursu rapidô tenebricantis
Orbis tristitiam fugat serenô
Splendoris radiô, micans per auras,
Exultant volucres, feræq; sylvæ
Saltûs instituunt, chorosq; jungunt,
Consurgunt homines sopore spretô,
Pleni lætitiâ modosq; miscent.
Quum lux hæc radiis suis coruscat,
In plausûs resonant, ornant, triumphant,
Lætantur meritò : jubet movetq;
Hujus flammiferæ facis refulgens
Splendor, quô famulatur universis
In cunctos pia , liberalis æquè.
Octæos sed ubi videt venire
Ignes, noctiferi jugum remittit
Et fessos recreans equos Iberi
Undis accelerat sub ima terræ,
Lustrans Antipodas suô nitore
Absque ullâ requie parata cunctis.

SOLE M concupitis novum videre?

Est præstò. FRIDERICUS almus orbis
PHOEBUS : DUX viget, atq; gloriofa
Majorum genitura, SOL laborum,
Omnes exhilarat decore mirô
Virtutum, quibus inter orbis astra
Respondet veluti decora lampas.
Cunctis officiosus haud quiescet,
In cunctos pius atq; liberalis:
Virtutum cuius alma spes meretur,
Ut cuncti pariter suas adornent

Lau-

Laudes atq; decus, precentur, optent
Omnis, ut vigeat magis, magisq;
Eius laude decus per æva crescat
Exosumq; solum juvante Sole
Ad lucem penetrabit æviternam!

AUGURATIO COMPARATIVA,
per metra metasyllaba proposita.

Ut, nus, ci, hu, ris, fu, o, pum, lym, mit, as, me, des, Al, bo,
Dum, sus, li, le, es, las, Ath, cit, qui, mo, coe, las,
Sic, ris, ci, PRIN, GVIL, ME, ren, tum, pa, HEL, CEPS, des, Al, e,
Si, lut, ci, mu, a, gna, bis, su, ma, ni, des, Al, ve,

CANON.

Hæc metra ad normam rediguntur, si in eodem versu syllaba prima cum ultimâ in quovis versu secunda cum penultimâ, & sic consequenter de cæteris, conferantur.



OMEN VII.

*Reliqua mutantur,
Solus Sol vultum non mutat:*

*Sic PRINCEPS immutatus, cætera mutat, semper tamen
sibi similis,*

*Turbata componit, nunquam turbatus,
Cùm semper sibi constet;*

Ut de utroque verè dicatur

LEMMA:

Idem est semper.



*mnia tremendis Aquilo dum miscet Notis,
Caurusq; fævus infremit,*

Stri-

Stridore sylvæ sàpè prægrandi cadunt,
Ruuntq; vasta culmina,
Et cuncta magni (lege sanctâ) Jovis
Parata parent nutibus;
Ast ubi quadrigas Phœbus auratas movet,
Flammans decoris ignibus,
Quamcunque rutilâ verberat plagam face,
Subitò stupescunt omnia.
Sic omne nempe robur ostentat suum,
Quamvis procul sit vel prope,
Sibi semper idem, mutat & servat locum
Per cœli oberrans climata.

WILHELMUS Oriens aureum spirat diem:
Nam tetra pellit nubila;
Turbata sedat, dubia confirmat, suæ
(quam spondet orbis incolis
Ætate primâ) mentis ex prudentiâ.
Quis esse SOLEM deneget?
Quis non stupescat? usq; quod similis sibi,
Boniq; semper pertinax,
PRINCEPS tenellus, SOLIS imitator sui,
Variare mores nesciens.
Certè vel ideo Numinis largâ manu
Præ cæteris dotabitur.
PROTEUS,

Dux, quasi Lux fulgens, eti SOL fert lumina mundo.

CANON AD LECTOREM

Hic liber, hic versus: cui desunt otia, versum
Is legat: hoc lecto, legerit ille librum.

Potest enim hic Proteus sive unius libri versus, vel unius versus liber carminis
heroici metrō, novem his retentis & tantum inter se transpositis vocabulis verti
bis mille pluribusque vicibus, eritq; semper idem.



Stri-

OMEN VIII.

*Aquila Solem pro Lydio veneratur,
Ad quem explorat pullos:
Sic ad Principem explorantur subditi,
Bonī ut foveantur,
Dyscoli ut reprobentur; Juxta*

LEMMA:

Degeneres damnat.



*um Sol stelliferis radians decurrit in agris,
Gaudet apricari præpes Jovis ales in alto,
Et pullos rapiens ex nidis ungibus, atq;
Laxatis auræ pennis se credit apertæ,
Phœbæ dubios explorans lampade natos,
Quos etiam implumes Solis convertit ad ignes:
Consulit ardentes radios, & luce magistrâ
Ingenium, viresq; probans, & pectora tentans.
Qui potuere pati radios, & lumine rectô
Sustinuere diem, genuini semper habentur,
Cautè curantur, cautèq; alimenta reportant.
Qui verò fugiunt flammantia lumina Phœbi,
Vel petris caput allisi truduntur ab alto,
Vel pelago injecti rapidis merguntur ab undis.
Scilicet ingenuos servat, tantumq; repellit
Degeneres pullos alma hæc Regina volucrum,
Grata Diis Aquila, & summi Jovis armiger ales,
Titanis radiis velut astrô principe gaudet.*

*Sic PRINCEPS ad TE SOLEM explorare præoptat
Plebs subiecta TIBI sua pectora, lumine rectô
Quam præis exemplô cunctis juvenilibus annis,*

Quo

Quō fulgere solet canis venerabilis ætas.

TU SOL es PRINCEPS toti clarissimus orbi,
Saxoniæ Lampas, Cliviæ fax, Montibus astrum.
Ne dubita, testes rumpunt è pectore flammæ,
Queis velut Eous Phœbus per clima coruscas
Mistrorum, sub TE cùm virtus aurea crescat,
Verus eris PHAETON, verò qui lumine mundum
Irradiat. Ter felices, qui Lampadis hujus
Excipiunt radios ! hi certè nubila quæque
Aversabuntur vitiorum, semper anhelii
Principis ad lucem tantò fulgore coruscantem.
Hi sunt, qui fidos Solis servantur in usus :
Hos non degeneres pullos manet alma coronis.

ΣΤΙΧΟΛΥΔΕΚΤΙΚΟΝ.

PRINCEPS	Saxoniæ	Sol	mundi	Gloria	stirpis
Saxoniæ	Sol	perlustrans	Lux	fulgida	gemma
Sol	perlustrans	lumen	splendens	gemma	corusca
Mundi	Lux	splendens	margrīta	decora	coronis
Gloria	fulgida	gemma	decora	& candida	stella
Stirpis	gemma	corusca	coronis	stella	refulgens.

CANON.

Hoc metrum alii vocant quadrangulare, quod legitur rectè & in eo ordine,
ut scriptum est, & supernè atq; infernè per singula verba, idemq; semper sive
legatur rectè, sive descendendo, occurret versus.



OMEN IX.

Sol, Planetarum luminosissimus,
Cùm ipse super omnia luceat,
Et reliqua à Sole sidera suam mutuentur lucem:
Sic PRINCEPS super omnes emicat ;
Ut de utroque verum sit

C

LEM-

LEMMA:

S

Super Omnia Lucet.

Sereniori lumine præmitat

Titan Planetis, omnibus imperat :

Lætantur omnes, Cynthia cum Jove,

Saturnus & Mars, Mercurius, Venus,

Præsente Phœbō flammivomantibus

Tædis coruscans dum decorat polum.

Nam mutuantur Solis ab aureo

Splendore lucem sidera cætera.

WILHELME PRINCEPS, Saxoniæ Decus,

Quis, cùm micantem TE prope viderit,

Non esse dicat TE jubar aureum ?

Heroas inter Saxoniæ Duces

TU Luce fulges clarior omnibus,

Nitore vultûs pulchrior omnibus,

Pudore frontis charior omnibus,

Prudentiâve rarior omnibus,

Ætate parvus, major es omnibus,

Virtute doctis doctior omnibus,

Vigore cordis fortior omnibus,

Candore vitæ purior omnibus,

Fervore zeli promptior omnibus,

Favore fortis celsior omnibus

Favore cœli Phœbus es omnibus.

PALINDROMON,

sive

Votum Antistrophum.

Cunctipotens TIBI quos, PRINCEPS, concedit honores
Virtutis, laudi sint TIBI perpetuæ.

Con-

Contribuat TIBI sic Numen tot prospera, PRINCEPS,
Sidera quot profert nox nigra terrigenis.

Frugiferas pia quo^t tellus producit aristas,
Gramina pratorum quo^t sola progernerant.

Mathusalæ bene ter felici secula cursu
Vivere concedat TE sacra Prosperitas.

CANON.

Hoc genus antrorsum & retrorsum legi potest, eodem plane sensu, variatis tamen metris Hexametri in Pentametrum, & contra.



OMEN X.

Sol radiis mundum illustat;

Hinc

Oculus dicitur Mundi;

Ita Princeps subditis prælucet Virtutum face,
Quemadmodum Sol terrigenis radiorum luce.

Igitur in utrumq; concinnè quadrat

LEMMA:

Omnes irradiat.

Iumine Sol justum, PRINCEPS virtutibus orbem
Implet, uterq; Soli sidus, uterq; poli.

Phœbus ut in cœlis splendor clarissimus ardens

Illustrat radiis subdita quæq; suis :

SIC, PRINCEPS FRIDERICE, Tuos pietate clientes

Dirigis, hinc SOLIS nomen & omen habes.

Sol oculus mundi est, per quem videt atq; videtur?
DUX oculus populi creditur esse Tui.

Celsa patent oculis : quisquis regit, ille videtur,
Et, bene qui populum dirigit, ille videt.

Altenburga videt, videt & Thuringia tellus,
Quam gratum lampas PRINCIPIS alma micet.

SOL ergo radians, virtutum spargito lumen:

Hac, quam coepisti, luce tuere tuos.

Dirige mansuetus populos clemensq; gubernat,
Subiectos Superi quos voluere TIBI.

Quin nostris potius radiis feliciter aris,
Ut flamas habeat TE radiante novas

Hoc Bantum ! Socii, votis optemus & ore,
Luceat Hoc nobis Sidus in orbe diu !

VOTUM HISTORICO-CHRONOGRAPHICUM.

Plausimus unanimes latis TIBI plausibus omnes,
Sol Aitenburgi, Saxoniæq; Decus.

Plausibus & nostris tandem juvat addere vota.
Dent annos Superi tot numerare TIBI:

- a Magna sibi Numen quot finxit lumina cœlō,
- b Adam quot seræ transegit tempora vitæ,
- c Quot Phaëton cursu persolvit signa per annum,
- d Annus quot numerat totus per tempora menses,
- e Quot periére rubro Pharaonis in æquore currūs,
- f Quotq; viros fortes habuit Jessëia proles,
- g Quot positas hydrias Sponsus Galilæus habebat,
- h Ostia multifluus quot fundit in æquora Nilus,
- i Vatidicas quot prisca fides canit esse Sibyllas,
- k Debuit Alcides quondam quot ferre labores,
- l Græcia quotq; Sophos jactat, m quot in axe Planetæ,
- n Ingenuæ quot sunt artes, o quot Musæ Helicone,
- p Urbes quot magni depositunt corpus Homerii:

Tot vivas annos PRINCEPS! Tot, candide Lector,
In summam compone simul, si noscere gestis
Annum, quô celebrat FRIDERICUM Banthica Musa.

GLOSSA DILUCIDANS.

a Duo, inquit Scriptura lib. i. Gen. cap. i. b. 16. Fecitq; DEUS duo luminaria magna : luminare majus, ut præset diei, & luminare minus, ut præset nocti.

b De Protoplusto nostro Adam lib. i. Gen. cap. 5. a. 5. legitur : Et factum est omne tempus, quod vixit Adam, anni nongenti triginta.

c Signa, quæ quotannis Sol transcurrit, cum Astrologis omnibus 12. esse, ex antiquissimis illis liquet versibus :

Sunt Aries, Taurus, Gemini, Cancer, Leo, Virgo,
Libraq; , Scorpius, Arcitenens, Caper, Amphora, Pisces.

d Duodecim mensibus annum integrum absolvi, ex vetustissimo illo constat metro:

Jan. Fe. Mar. Ap. Maj. Jun. Ju. l Aug. Sep. Oct. No. December.

e Sexcentos falcatos currûs mari rubro cum Pharaone submersos asserit Flav: Josephus lib. 2. Antiquit. in fine, Adrichomius de terrâ sanctâ.

f Triginta septem attribuit Davidi sacer codex lib. 2. Reg. cap. 33. d. 39. & concludit his formalibus : Omnes triginta septem.

g Sex hydriæ in nuptiis in Cana Galilææ appositæ Domino scribit Evangelista S. Joannes, cap. 2. v. 1. ubi dicit : Erant autem ibi lapideæ hydriæ sex positiæ.

h Ostia, quæ in mare diffundit Nilus, sunt septem, juxta illud Virg. Æneid. 6.

Et septem gemini turbant trepida ostia Nili.

i Duodecim quoq; Sibyllas fuisse, traditur illis Poëtæ versibus:

1. Persica magnanimis laudans Herois honores,
Tùm 2. Lybica, & 3. Delphis celebris, 4. Cumæa, 5. Erythræa,
Et 6. Samia, & magnipendens 7. Cumana poësin,
8. Hellespontiaca, & 9. Phrygis sub montibus orta,
Ultima quæ meruit statuas, 10. Albana Tyburtis.
Adjiciuntur eis 11. Ægyptia & 12. Europæa.

k Duodecim itidem fuisse labores Herculis, asserit Boëtius in fine lib. 4. quos metricè sic cantat Virgilius in Epigramm.

Prima

Tot

Prima Cleonéi tolerata ærumna Leonis :

Proxima Lernæam ferrô & face contudit Hydram :

Mox Erymanthéum vis tertia perculit Aprum :

Æripedis quartô tulit aurea cornua cervi :

Stymphalidas pepulit volucres discrimine quinto :

Threiciam sextô spoliavit Amazona balteo :

Septima in Augiae stabulis impensa laboris :

Octavô pullô numeratur adœra Taurô :

In Diomedéis victoria nona quadrigis :

Geryone extinctô decimam dat Iberia palmam :

Undecimum mala Hesperidum distracta triumphum :

Cerberus extremi suprema est meta laboris.

I Septem Græciæ Sapientes præter alios recenset Herm. Torrentinus in suo elucidat. poët. litt. B. verbô Bias, tali ordine : Thales Milesius, Solon Atheniensis, Chilon Lacedæmonius, Bias Prienæus, Pittacus Mitylenæus, Cleobulus Lydius, Periander Corinthius.

m Septem etiam Planetas cum omnibus testatur Petr. Greg. Tholozanus in sua Syn-taxi art. mirab. tom. 2. lib. 8. cap. 38. additq; partes corporis, qvas qvivis Pla-neta regit, Crinitus lib. 12. cap. 2. scilicet SOL caput & cor: MERCU-RIUS os & linguam: SATURNUS splenem: JUPITER hepar: MARS sangvinem: VENUS renes: LUNA stomachum.

n Ingenuas sive liberales artes veneranda antiquitas septem numerat, dum canit:
GRAM: loquitur. DIA: vera docet. RHE: verba colorat.
Mus: canit. Ar: numerat. GEO: ponderat. As: colit astra.

o Novem esse Musas, constat ex amœno illo Bern. Bahusii Epigramm. lib. 4.
pag. 115.

Calliope, Polymneia, Erato, Clio, atq; Thalia,
Melpomene, Euterpe, Terpsichore, Uranie.

p Septem urbes de Homero decertâsse perhibet Aulus Gellius lib. 3. cap. 11. qui
Græcō idiomate sic scribit:

Ἐπλὰ πόλεις διερίζοτι περὶ ρίζαν Όμηρος.

Σμύρνα, Rhodus, Colophon, Salamin, Jos, Argos, Athene.

Interpretatio.

Septem urbes certant de stirpe insignis Homeri:

Smyrna, Rhodus, Colophon, Salamin, Jos, Argos, Athenæ.

ENO-

ENODATIO.

Hic calculus Arithmeticus, per additionem contractus, componit summam anni currentis,

1667.

Numeri autem sunt hi :

2. 930. 12. 12. 600. 37. 6. 7. 12. 12. 7. 7. 7. 9. 7.

M E T A.

Accepta sint hæc, SERENISSIME ac CELSISSIME PRINCEPS, omnium nostrorum cum votis omnia, & si quem illa melioris locum gratia à TE invenerint, sat magnum opera nostræ fructum perceperimus : cum

Principibus placuisse viris hæc maxima laus sit.

Inferior equidem est nostra, non diffitemur, facundia, quæm ut aliquid publicæ mereatur lucis ; quodsi tamen ingenuum penses animum, erit fortè, quod in eo valeas laudare : maluimus enim istuc qualicunq; agonismate liberalem fateri affectum, quæm ignavò silentio urbanam parùm prodere humanitatem. Eapropter Epos hoc suscipe fronte, quâ soles, serenâ, & unâ nos cum eo omnes in TUAM assume gratiam atq; tutelam. Sic salutem TIBI hocce cum voto dicimus : ut, quidquid Principibus unquam felioris gaudii contigit, pari utiq; fortunâ experiare. Vive ter felix, vive ! nam TU A similiter laus vivet in ære durata Corinthio, in Pario calata marmore, in pictis illustrata emblematis, in aureis gloriae manu insignita characteribus : vivet hominum celebrata sermonibus, elogii clarata, laudibus depraedata : vivet incisa pyramidibus, columnis insculpta, impressa arcubus, cippis inserta & obeliscis : omnium deniq; & nostris in primis, vivet infixa mentibus, ad memoriam futurorum seculorum & viternam.

CAR-

W.F. 1611. FK

CARMEN CABALLISTICUM,

Annum denotans

M D C L X V I I .

CLAVIS.

| | | | | | | | | | | | | | |
|-----|-----|-----|-----|------|------|------|------|------|-----|-----|-----|-----|-----|
| I. | 2. | 3. | 4. | 5. | 6. | 7. | 8. | 9. | 10. | 20. | 30. | 40. | 50. |
| A | b | c | d | e | f | g | h | i | k | l | m | n | o |
| 60. | 70. | 80. | 90. | 100. | 200. | 300. | 400. | 500. | | | | | |
| p | q | r | s | t | v | x | y | z | | | | | |

Vt Phäeton cœlo, FREDERICUS sic nitet orbe

PROBA.

| | | | | | | |
|---------|---------|--------|---------|---------|---------|--------|
| V. 200. | P. 60. | C. 3. | F. 6. | S. 90. | N. 40. | O. 50. |
| h. 8. | o. 50. | R. 80. | i. 9. | i. 9. | r. 80. | |
| a. 1. | e. 5. | E. 5. | c. 3. | t. 100. | b. 2. | |
| t. 100. | c. 5. | l. 20. | D. 4. | 102. | e. 5. | e. 5. |
| — | t. 100. | o. 50. | E. 5. | — | t. 100. | — |
| 300. | o. 50. | 128. | R. 80. | 254. | — | 137. |
| n. 40. | — | — | l. 9. | — | — | — |
| — | — | — | C. 3. | — | — | — |
| — | — | — | V. 200. | — | — | — |
| — | — | — | S. 90. | — | — | — |
| — | — | — | 482. | — | — | — |

SUMMA.

1 6 6 7.



- AND -

ULB Halle

004 973 64X



3

K. 32, 24.



EPOS

SOLSEQVIANUM,

Decem Felicissimis
velut tot rad

SERENISSIMUM ATQVE
PRINCIPEM AC D
DOMINUM

FRIDER
GVILIELM
DUCEM SAXONIA

Cliviæ, & Montaniæ, Comitem Provincia
Limitaneum Misniæ, Principali
Hennebergiæ, Comitem Marca
Ravensteinii Dyna


tanquam

ORIENTE ex alto
Florida ætate deo

Per lemmata aliaque parergica metra
orbi exhibens

Quod anno Christi

Pos Vêre PIM pLeIDes C
obser VantIæ & hon



J. Altenburg

1667

K. 32. F.

(cat. 1, 852.)



© The Tiffen Company, 2000

KODAK Color Control Patches

Centimetres

Inches

Kodak

LICENSED PRODUCT

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue